

cui multam salutem et Dño Monavio nro. Rogo te ut
inclusas literas Prætoris mittas, et per hanc occasionem duo-
bus verbis illum compellare, ne graveris hominem antiquæ
bonitatis et tui studiosum. Vale feliciter meæ ama et aliquid
de Cometa et alijs ex tua Mathematica officina nobis im-
pertire. Savile salutamy cum Wittichio, de eo quoq, aliquid
à te expecto. Veniat ad nos persuade illi, non pœnitebit
Wittichiana consuetudinis. Wratislavia 8. Febr. 1680.

Eidem Taddeo f. Judith
S. Clariss. et Præstantiss. Vir. Pergrata mihi fuit epistola
tua cum Diagramate. Simulac perlegi, misi puerum ad
Wittichium, ut ad prandium vocaret, accurrit, tum his
observationibus tuis, tum promissis de toto scripto nobis com-
municando, et de adventu Dñi Savile, vicissim nobis
mutuo gratulati sumus. Expectamus autem hæc omnia
avidè. Utinam tibi quoq, commodum esset huc excurrere,
cum optimo genere tuo, aut ipso Dño Savile. Ego toto
vos pectore complecterer, vestros sermones de rebus istis
sublimibus admirarer, ut rustici plerumque præclararum
artificum picturas, cum nihil præterea adferre possim,
ad hanc totam rem, quam studium non mediocre, et in-
telligendi desiderium. Eram equidem aliquoties, progressus
in his artibus dum meæ Prætoris merum fuit, sed illo abe-
unte: quod meminisse aliq, questum esse: omnia me
deseruerunt, et Urania indignabunda me deseruit. Id
eò factum puto, quod ab illa contemplatione, rerum celesti-
um, ad hæc terrena me traherent, et publicis iisq, molestissi-
mis reipublicæ muneribus, implicari passus fuerim. Quibus de-
functis etsi sepe redire cum illa in gratiam volui, nunquam
tamen id consequi potui. Non sine quod acium desuerit jam
ab aliquo tempore, sed duces et studiosorum Conites frustra
quæsi. sine quo languet animus et frigent omnia. Obse-
cro te explora animum Savile istius, quando tuus et Prætoris
iudicio tam insignis vir est, num patiatur sibi persuaderi
ut mecum vivere, mihiq, operam in his studiis navare
velit honesta mercede. Si eges, si conditionem quaerit, non

denegabit, ut confido, nobis amicam operam suam. si nondum
discessit, cupio te ita cum eo agere, animumque ejus percontare.
ut antequam huc adveniat, consilia ejus mihi perspecta esse
queant; de quo expecto literas tuas. Wittichij putat non esse
sufficiencia data tua; opus fuisse duabus fixis et cometa, ut tria
data ad conficiendum triangulum et quae sita extruenda ha-
beri possint. de quo tamen adhuc suspendit sententiam. do
operam, ut Brutij apologiam contra te aboleat; non potuit
ab eo impetrari, ut prorsus non scriberet: de quo ego dili-
genter saepe cum illo egi. Etsi putat se modestissime scri-
psisse, tamen aculeos habet. obsecro te, ut haec talia animo
feras equiore, quam illa Annibalica. Deum et homines
testari possum, id quod tu postea intelliges, hoc me invi-
sissimum fieri, quippe qui te ut ego facis ab omnibus ama-
ri et observari cupiam, ob doctrinam et virtutes tuas. Vale
meum, ama, et D. Savile, generum tuos omnes saluta.
14. Decembr. 1580.

In altera epistola scribebam aethereum esse cometam
coelestem dicere volui; Nam aethera sub Luna collocant,
quam inferiorem esse cometam ex parallaxi vides.

Pectorius Iudithio.

11.) S. Iterum nunc coelum negotium facessit Astrologis; come-
tam adhuc fulgentem primum nos conspeximus 10. die Octobr.
Erat haec sita ipsa sub Pegaso et quidem cum stellis piscis anteri-
oris in ipso fere aequatoris circulo et quasi 342. gradu.
potuit tamen esse uno atque altero gradu meridionali ab aequa-
tore, inde veloci admodum motu progressu versus occasum
parum item ad septentrionem deflectens, motu rapido, si utpote
qui in circuli ambitu non permansit. Pegasi caput inde
Delphinum transgressu intra telum et aquilam cursum in-
tendens subitit nunc non procul ab interfectione comuni
circuli tropici aetivi et ecliptici solstitiorum, adeo ut hinc
20. diebus iter plusquam 65. graduum confecerit, motus
ipsius multo tardior nunc quam antea fuit. Obscurum pri-
mum tamen habebat et quandoque sine cauda conspexitur est,
fortassis